



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

10 De aliis duobus Examinum generibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

**V**NVM Examen est, quod consulitur tyronibus in Meditandi exercitatione, nempe vt in fine cuiusque meditationis illud instituant breuiter, eo modo quo iam dicam. Nam ex reflexione in seipsum, quisque aduertere potest, bene ne an malè meditatio processerit: si enim malè aliquot diebus succedat, cogitat de apponendo antidoto. Vt ergo recte eam instituat, obseruare debet, à qua radice pullulent distractiones supra descriptæ, quas patitur, vt eas possit extirpare. Quod facile efficit beneficio examinis sequentis. Exemplum damus huiusmodi. Inter meditandum veniat alicui in mentem, quam præclaro premio sit pro suis laboribus ornatus, tum quanto omnium applausu sit exceprus, deinde in animo exultet, ob victoriam ex hoste relatam, mox optet illud ubiq; diulgari, aut alias similes agitet cogitationes: is inquam, persuadere sibi debet, hæc omnia nata esse ex superbia, & vana gloria. Deinde ex eadem natura etiam eius cõtrarium; vt si timeret se non obtenturum tale præmium; vel tristaretur se non obtinuisse, aut

dole-

doleret competitori obtigisse, aliasue similes cogitationes versaret. Idem faciendum circa ariditatem, desolationesq; quæ similia sunt impedimenta.

Expendendum quoque est, dum oratio non processit ex voto, an seruata sint Præparationes vicinæ & immediatæ. Si non sint, existimet hanc esse causam infelicis exitus, & ideo in posterum prouideat. Quod si ex voto processit, videat, quomodo se gesserit, & eundem deinceps modum retineat.

Quod ad vsum alterius Examini attinet. Dico primo, hominem ardētem suæq; perfectionis cupidum, non esse contentum sola agnitione suorum defectuum, nisi potèd progrediatur ad eorundem extirpationem, & magno erectoq; animo quasi indito bello dicat cum Dauide *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent sub pedibus meis: & comminuam eos, sicut puluerem ante faciem venti, sicut lutum platearum delebo eos* Secundo dico, quod ponere debes ob oculos defectum quemcunque volueris, & primo diluculo parare te ad pugnam in eundam cum illo, implorato diuino auxilio his verbis.

Mm 3 Dene

*Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Adiutus enim ab illo, securè quoq, dicere poteris. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me pralium, in hoc ego sperabo.*

Quod verò ad examen particulare attinet (quod omnino deberet esse distinctum à communi. (Dicitur autem particulare, quia in eo vnum tantum peculiare vitium expenditur) instituendum videtur vel aliquantulum à prandio, vel ante cœnam, in eoque excuties, quoties in illud particulare vitium sis relapsus. Numerum autè lapsuum in charta, quæ notatos habeat totius hebdomadæ dies annotabis, vel cyphra, vel lineola, vel globulis Rosarii adnumerabis. Hebdomade finita longiorem lineam ducas, & proxime adiunges lineolas lapsuum insequentis hebdomadæ, atque ita deinceps perges, conferendo diem præsentem cum præterito, & hebdomadem cum hebdomade, sicut liquet ex subiecto typo.

Hoc

MEDITANDI PARS III. 55<sup>r</sup>

III	IIII	— Dom. 9.	8
IIII	II	— Lun. 7.	8.
III	IIII	— Mar. 8.	6
I	III	— Merc. 5.	7.
III	IIII	— Iouis. 6.	6
II	II	— Ven. 7.	5
I		— Sabb. 7.	4

Hoc autem fit ad cognoscendam prom-  
ptius emendationem. Quæ si facta sit, gra-  
tias ages Deo: si secus, operam dabis ut sis  
diligentior. Ad vberiore[m] autem huius rei  
fructum, facilioremq[ue] vsum notanda sunt  
sequentia.

Primum est, ut quoties aduertis te in de-  
fectum relapsum, manum pectori admo-  
ueas, & de lapsu doleas; quod etiam fieri  
potest, aduertente nemine. Idque seruiet ad  
retinendum numerum pro tempore exa-  
minis, & ad excitandum in animo dolo-  
rem, voluntatemq[ue] abstinendi de cætero.

ALTERVM est, quod vnum tantum  
vitium ob oculos ponendum fit: expe-  
riencia enim docet, verum esse versiculum.

Mm 4 *Plurim*

*Pluribus intentis minor est ad singula sensus.*  
 Et nosti quendam integrum fasciculū vir-  
 garum simul colligatarum nō potuisse dif-  
 fringere, diffregisse tamen singulas, vbi so-  
 lutæ fuissent. Et mihi semper visa est illusio  
 diabolica in plures defectus oculos mentis  
 intendere, quia virtus eius, simulatq; distra-  
 hitur, languescit, & victoria amittitur. Imò  
 iudico, si vitium aliquod multos habeat ra-  
 mos, singulos separatim esse excutiendos.

22. 9.  
161. 4. 6.  
 TERTIVM est, cum omnium vitiorum,  
 sicut & virtutum, actus alii sint interni in a-  
 nimo, alii externi in corpore, sequendo du-  
 ctum humanæ nostræ naturæ ordinariū,  
 te debere inchoare examen ab externis, vt-  
 pote nobis magis notis. Vnde & omnis co-  
 gnitio nostra ortum habet à sensu. Hunc  
 procedendi modum tradit S. Thomas dum  
 disputat de modo acquirēdi humilitatem.  
*Homo, inquit, ad humilitatem peruenit per  
 duo. Primò quidem, & principaliter per gra-  
 tia donum, & quantum ad hoc, interiora pra-  
 cedunt exteriora. Aliud autem est humanum  
 studium, per quod homo prius exteriora cohi-  
 bet, postmodum pertingit ad extirpandum in-  
 tersorem radicem.* Accipe huius rei exem-  
 plum Qui cholericus est, & natura iracun-  
 dus secundum hoc examen primo deberet  
 cohi-

cohibere impetum iniiciendi manus in eum a quo iniuria afficitur, si id facere consuevit. deinde abstinere etiam à verbis contumeliosis tertio & à nutibus atq; signis, deniq; supra hæc, etiam motus animi internos comprimere. Si quæras, quid agendum sit de aliis ramis, dum hæret in vno, nempe in primo Respondeo, non debere esse precipitè, sed si aduertat, satis fore si abstineat.

QUARTVM sit, rationem optimam cognoscendi suum profectum, esse, obseruare seipsum. Si enim deprehenderit cholericus in simili casu se non esse amplius grauius commotum, aut cito commotionem euauisse, certo credere potest se multum in mansuetudine profecisse, eoq; plus, quo occasiones succensendi extiterint maiores & crebriores. Quare & progredi poterit ad alia vitia.

QUINTVM est, vt initium fiat à vitiis quibus sæpius impugnamur, vel maiore damno afficimur in vita spiritali. Vbi enim ab eorum infestatione liberati fuerimus, alacriores, fortioresq; ad cætera expugnanda erimus, plusque ex adeptis victoriis animati & incensi.

SEXTVM sit, hoc Examen quoq; posse institui ad cõparandas virtutes, hoc modo.

M m 5 Ponat

Ponat homo ob oculos virtutem, quam voluerit, & arbitratur salubriorem, tum statuat, quot illius actus quotidie velit exercere, quaq; hora vel tempore exigere a se velit rationem Si proposito fecerit satis, gaudeat & Deo gratias agat: si non fecerit, doleat, & numerum lapsuum annotet modo superius dicto, & ita progrediatur.

**S E P T I M V M** est, omni industria laborandum esse, vt hoc exercitium cum omni alacritate fiat, occasionesq; omnes defugiendas, quę tedium afferant. Dici enim non potest, quanto conatu dæmon illud impedire studeat. Primo curando, vt memoria excidat: vel occupatione aliqua interueniente impediatur, tum persuadendo, quam exiguum ex eo collegerit fructum. Totum autem hoc facit malignus ille quia nouit, quam facile hac via homo ab eius tyrannide liberetur, & ad perfectionem perueniat. Conueniens ergo erit definire horam certiore, & commodiore, & speciatim a Domino etiam atq; etiã postulare donum perseuerantię, dicendo cum Dauide. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in me.*

*Psal. 38.*

**T O T V M** hoc caput, librumq; concludam, si vnum hoc te monuero, cum hęc anima nostra terra, post maledictionem ab  
Ada-



MEDITANDI PARS III. 556

Adamo acceptam, non aliud producat ex se, quam spinas & tribulos, operam des, vt quamprimum diuinæ gratiæ, huiusq; examinis beneficio virtutes aliquas in ea plantaueris, non statim curam omnem abicias; tum quia facile à dictis vitiorum spinis possunt suffocari, tum quia, si cultus diligens absit, procliuè est, vt paulatim exarescant, & pereant. Volo dicere, opus esse, vt ab actionibus vitiosis abstinenceatur, & sedulo crebroq; virtutes exerceantur, donec semel confecto huius vitæ curriculo, ad regnum cœlorum, vbi terra est harum plantarum propria, conscendamus. Id quod nobis diuina Maiestas per suam immensam misericordiam largiatur,

AMEN.

F I N I S.

*Laus Deo Deiparæq.*

